

ORATIO INAUGURALIS,
QUAM IN SOLEMNI STUDIORUM APERTURA
REGALIS AC CENTRALIS SEMINARIUM GRANATENSIS
DIVO CÆCILIO DICATI,

PRO NOVO CURSU HABUIT

Dr. D. Narcissus Ortega et Perez

Ejusdem Seminarii Præfectus et Profesor,

Excemo. atque Illmo. Domino Archiepiscopo Praesidente

POSTRIDIE KALEND. OCTOBR.

ANN. DNI. MCCCLXXIX.

De istius licentia et mandato.

GRANATÆ.

Typis Domini Hieronymi Alonso.

BIBLIOTECA HOSPITAL
GRANADA

Sala:

C

Estante:

001

Numero:

054 (2)

ORATIO

DEAN IN SOBRIA

REGALIA DE CERES

DIVIO CO

1880

1880

1880

1880

1880

1880

1880


7 400 40

Safra

MADE



ORATIO INAUGURALIS.



BIBLIOTECA HOSBITA
GRANADA

Sala:

C

Estante:

001

Numero:

054 (28)

ORATIO INLAUDABILIS

DIVO CECILIO DICATI

1770

Dr. J. Zaccaria

1770


1770

1770

1770

GRANATA

ORATIO INAUGURALIS.



TREATISE IN ALGEBRA

R/24628

ORATIO INAUGURALIS,
QUAM IN SOLEMNI STUDIORUM APERTURA
REGALIS AC CENTRALIS SEMINARIi GRANATENSIS
DIVO CÆCILIO DICATI,

PRO NOVO CURSU HABUIT

Dr. D. Narcissus Ortega et Perez

Ejusdem Seminarii Præfectus et Profesor,

Excuso. atque Illmo. Domino Archiepiscopo Præsidente

POSTRIDIE KALEND. OCTOBR.

ANN. DNI. MCCCLXXIX.

De istius licentia et mandato.

GRANATÆ.

Typis Domini Hieronymi Alonso.



ORATIO INAUGURALIS

DE ANNI SUAVISSIMO SECTURUM APERTURA

ORATIO IN QUINTO SECTURUM SECTURUM

DIVUS CECILIUS DICATI

IN SUAVISSIMO SECTURUM

DE ANNI SUAVISSIMO SECTURUM APERTURA

ORATIO IN QUINTO SECTURUM SECTURUM

DE ANNI SUAVISSIMO SECTURUM APERTURA

ORATIO IN QUINTO SECTURUM SECTURUM

IN SUAVISSIMO SECTURUM

ORATIO

DE ANNI SUAVISSIMO SECTURUM APERTURA



EXCME. ATQUE ILLME. DOMINE.

I.

«Quia ventum seminabunt.... turbinem metent (1).»
Hæc fuerunt de populo Israel, lege Dei spreta, verba prolata; atque proferri de philosophis rationem supramodum extollentibus possunt, qui, originem legis naturalis cum in Eo non agnoscant à quo entia procedunt omnia et leges ipsa regentes entia, sibimet in legis scaturiginem constituerunt.

Isti, erroris ventus seminantes, turbines flagitiorum societatem tenebris explentium messuerunt.

Ac super propriam cogitationem omne scientiæ ædificium levare nitentes, illam tamquam formam mentis purè expontaneam et subjectivam valore destitutam obiectivo extra spiritum concipientem spectarunt et tamquam centrum circa quod omnia gyrarent entia realia et possibilia.

Non fuit secundum hos in rerum realitate scientia condita, sed contra realitas suæ submittitur et ferè identificatur rationi. Non sicut in vera accidit doctrina, quæ semper principium veritatis exquirat in conformitate conceptum cum realitatum ordine in Creatore omnium fundamentum habente, cujus intellectus in homine se reflectit infinitus.

Se ipsos quærentes, ut scatebras sapientiæ, propriam auscultarunt rationem atque huic morem gesse-

runt; «*relictisque communi principio, sibi ipsi facti fuerunt principium* (2).»

Non esse opus rationi de se ipsa prodire ad principia scientiæ universalia et necessaria inveniendâ, atque illam virtutem intelligendi supremam et absolutam possidere crediderunt; quin, hunc cognoscendi modum esse divini intellectus proprium, cogitarent.

De sua gloriante ratione, quasi eam ab omnium Largitore non recepissent, errorem, quem à se extraxere, veritati de cœlo descendenti, prætulerunt.

Voluntatem sicut originem et fundamentum legis naturalis et rationem sicut justitiæ fontem et veluti auctoritatem sibimet leges dictantem, perpensarunt.

E societate principium auctoritatis fuit avulsum; et rationem ut Deam consideratam, quasi essent ex ore ejus lucem sapientiæ et directionem in omnibus suæ vitæ semitis recepturi, procidentes adorarunt. «Et in lege Domini nolluerunt ambulare (3).»

Pseudo philosophi «semper discentes et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes (4).» «evanuerunt in cogitationibus suis et obscuratum est insipiens cor eorum et dicentes se esse sapientes stulti facti sunt (5).»

Elati superbiâ discesserunt à Deo et in quamdam errorum abissum ceciderunt; quia, semel admissa intellectus et voluntatis auctonomia, stabilitaque legis moralis origine humana, jam hominem in suis cogitationibus et actionibus liberum et à lege Dei independentem constitui fuit illatum.

Ea est illorum doctrina vires præmodum rationis augmentium et hæc sunt illius consecraria, quorum pater et auctor quidam fuit philosophus germanus sæculi elapsi Kantius appellatus.

«Hic ostendens se tamquam sit Deus (6).» suam rationem ut matrem aspexit veritatis ac proinde veluti legis moralis generatricem, quæ tandem in veritates se vertit. De se primum fecit præceptum legis oriri; atque animæ facultatum statuta auctonomia, falsa philosophia suas ultroneas intulit consequentias; videlicet libertatem cogitationis et conscientiæ et à lege Dei hominis ablegationem.

Ecce, Excme. atque Illme. Domine, Sapientissime Doctorum cætus, materia à me, quamvis turpi calamo tractanda.

Istum orationis meæ scopum non elegi, sed ab eo propositum, qui piè ac sapientèr hoc immediatè dirigit gymnasium, prothymiè, etsi viribus meis sit superior, dilucidandum accepi.

Si ab auctoritate mihi charissima non fuisset munus impositum loquendi, nunquam forem coram vobis, viri ornatissimi, ausus affari; quin opus sit mihi hùc adducere causam. Verumtamen, ut in tanta alloquar solemnitate, coactus, ostendere conabor: Kantii systema in quo moralis independens promulgatur esse absurdum; quoniam é falsis doctrinis ideologicis proficiscitur; quoniam sic est principium quod ille ut imperativum legis catheticum instituit; ac postremò quoniam falsa sunt consectaria ex ipso systemate emanantia.

II.

Spiritum humanum, juxta Kantium, de suo fundo citra experientiam conceptus educere pollentem, á semetipso etiam veritates in conceptibus modo materiali et inchoato contentas, et legem moralem posse producere, inferretur; quippe lex non nisi ordinem in actionibus humanis quoad ultimum finem spectatis exprimit; atque ordo ex relationibus rerum immutabilibus exurgit, quæ in tot alias resolvuntur veritates. Verumtamen proüt animæ non est humanæ concessum ad hunc modum conceptus edere, patet quod neque veritates in conceptibus inchoatas neque legem moralem ultimò in veritates se vertentem, propterea quit generare.

A priori é sinu spiritus nostri eodem ideas emanare á Kantio fuit assertum, quoniam, semel tamquam merè subjectiva spectata sensatione, eam nihil concreti et realis nobis quire revelare fuit ipsi deducendum; et quia mutabilis et individualis est ista sensatio sicut uniuscujusque hominis conditio, illam imparè esse in conceptuum immutabilium et universalium formatione ad conferendum intulit.

Sed ambo nimis á veritate abhorrent. Nam primò, sensibus nihil nobis externi et objectivi patefacientibus, anima non nisi phenomena, id est, quod objecta apparent, cognosceret; ast noumena seu quod objecta in se sunt, non noscicaret. Præterea, genus humanum circa rerum cognitionem ipsi circumstantium falli; Creatorem homi-

ni media, ut perciperet, dedisse inepta; tandèmque Deum aut creaturam illuisse rationalem, dùm sic eam decipiebat, aut in suo Creatoris officio satis providum non fuisse, colligeretur. Quod asserere absit à nobis; in primis quia homines nihil certiùs habent quàm quod sensibus suis usurpant; deindè quoniam agens sapientiã præditus media præbet adæquata, ut finis obtineatur.

Deus enim hominem mundi exterioris veritatem voluit fuisse noturum, ut ex visibilibus ad invisibilia raperetur; ut «à magnitudine enim speciei et creaturæ cognoscibilitèr *posset* Creator horum videri (7);» ut «invisibilia Ipsius à creatura mundi, per ea quæ facta sunt intellecta *conspicerentur*, sempiterna quoque ejus virtus et divinitas (8).» Quamobrem media idonea ut hic finis plenissimè adimpleretur, creaturæ rationali est impertitus. At sensus res velut in se sunt non percipientes, haudquaquam huic divinæ Providentiæ scopo satisfaciunt. Illi igitur debitis induti conditionibus veram rerum realitatem perspiciunt.

Et non tantum hoc, sed etiam, representationibus sensibilibus præcis, in præsentì vitæ statu intellectio fieri nequit.

Dicite aliquin ei, qui aliquo à nativitate sensu careat, objectum ejusdem sensus proprium declarare, et propter patietur impossibilitatem. Quærite à cæcigeno quid sit lux, quid sint colores, atque in tenebricosa nocte in qua demergitur, neque verba reddere, neque hæc extricare valebit objecta, quæ suis fulgoribus et harmoniis totam lætantur et exultant creationem. «Quod probat illum, qui rem sensilem nullatenus sensu excipit, hujus rei ideam non habet. Ergo intellectio aliquo modo fit dependentèr à sensibus (9).»

«Intellectus insupèr est potentia ex se indifferens ad omnia, siquidem proprium ejus objectum est omne ens. Atqui id quod ex se est indifferens ad omnia cognoscenda, debet ab alio determinari ad hoc ut è statu indifferentiæ exeat, seu in aliquod ens determinatum intendat. Ergo cum sensitiva operatio *sola* possit objectum sensile ab intellectu quidditatiè percipiendum animo conjungere, fit ut representatio sensilis duntaxat intellectum determinare queat, (10)» quamquam non modo directo et positivo, quia cum hic sit potentia spiritalis et inorganica nequit determinari et moveri ab intrinseco

effectivè et propriè à repræsentationibus sensibilibus seu phantasmatis, quæ à materiæ conditionibus, non expoliantur.

Enimverò quamvis sensatio nobis veram rerum realitatem aperiat (dicet Kantius); ut illud quod per eam attingimus, singularitate constringitur et mutabilitate, quomodo ex eo quod mutationi est obnoxium et prout individuale perspicitur, sunt conceptus immutabiles et universales exsurrecturi?

Nobis reponendum; quia sub concreto et materiali, sub singulari et contingenti sensatione detectum latet essentia præbens se ut universalis quoniam potest in omnibus ejusdem speciei individuis identica inveniri, atque se exhibens velut immutabilitate decorata quoniam archetiporum est exemplar divinorum qui immutabiles sunt et quos illa semper est necessariò relatúra et jam eos neque refferret neque, cùm mutaretur, reproduceret.

Ad hanc perveniens essentiam intellectus vi suæ abstractionis iter aperiendo, eam illuminat, intelligibilemque faciens, fingit conceptus.

Sic in anima hi generantur; ideòque dùm Kantius ideas à priori ex mera intelligentiæ humanæ activitate emanare propugnat, in hoc immeritò se habet atque insupèr rationibus sequentibus probatur.

Idearum ex ipso animæ nostræ fundo emanatione supposita, illæ aut sunt objectum cognitionis directum aut medium quo menti res offeruntur. Utrumque rejiciendum; quia, ideis sic ex cogitatione scatentibus in objectum directè cognitum constitutis; jam non nostra cognitio esset essentiæ rerum repræsentatio; neque istas nosceremus; sed tantùm opus intellectus nostri, dumtaxat modos, quibus spiritus percipit, perciperemus.

Hinc in scepticismum lapsus, nam à nobis, res prout in se sunt non cognoscentibus, neque judicare valentibus, utrùm realiter existant an non, nihil certi sciri posse, foret colligendum.

Præterea, cùm ideas, quas mens de se ipsa facit ori, sicut medium quo quidditates apprehenduntur, spectemus, jam intellectus, ut à semetipso depromere conceptus rerum essentias reproducentes valeat, in se ipso tales essentias possessurum, deducetur; omnis enim cau-

sa est in se saltèm uniusmodi *esse* effectus congruentis comprehensura. Rerum realitate intellectu contenta, ipsæ res ex eo poterunt educi; causa etenim effectum ejus *esse* in semetipsa actualitèr complectitur, quit producere, ac proinde nobis concludendum hominem creatorem esse naturæ, ejusque spiritum menti fieri identicum divinæ.

Nunc verò ex rationibus nupèr adductis et absurdis é systemate contrario sequentibus patet ab intellectu apprehendi posse conceptus sive sint immutabiles et universales sive non, super concretum reale quod illi á sensibus offertur laborando, sed illos dessumi citra sensationem de ipsa mente non valere.

Post impotentiam istiusmodi conceptus generandi, imposibilitas fingendi consequitur judicia.

Impotensque intellectus in conceptibus et judiciis extra experientiæ argumenta gignendis, quomodo veritatem in conceptu modo inchoato et materiali et in judicio perfectè et formalitèr reidentem, producturus?

Quomodo legem de se moralem editurus, ordinem in actionibus humanis quoad ultimum finem spectatis ostendentem? Gnarumque est ordinem ex relationibus rerum immutabilibus emergere, quæ in tot alias se vertunt veritates.

Probatum reliquimus hominis intellectum neque creare veritatem neque legem moralem edere potuisse.

Tullius enim ajēbat: «Hanc video sapientissimorum fuisse sententiam, legem neque hominum ingeniis excogitatam, neque scitum aliquod esse populorum; sed æternum quoddam, quod universum mundum regeret, imperandi prohibendique sapientia. Ita principem legem illam et ultimam, mentem esse dicebant omnia rationis aut cogentis aut vetantis Dei (11).»

Aperire leges veritatis non gignere, apprehendere moralitatis principia non generare proprium est rationis propter quod angelicus inquiebat Doctor: «ratio humana secundum se non est regula morum, sed principia ei naturalitèr indita sunt regulæ quædam generales et mensuræ omnium eorum quæ sunt per hominem agenda (12).»

Quæ potentia legem non facit; sed est lumen ex lumine indefectibile procedens, eandemque legem patefaciens, quam si adimplet homo, á gubernatore om-

nium actuum et motionum, quæ inveniuntur in singulis creaturis, in sempiternum coronabitur.

III.

Kantius, Excme. Domine, principium morale citrà omnem perpensationem antropologicam et experientiam constituere animum intendit; quoniam fuit illi voluntas in ordine ad rationem practicam eandem sequendi methodum, quam in ordine ad rationem puram fuerat sequutus, dùm genesis et valorem cognitionum investigabat humanarum.

Ille, omne sive universale sive necessarium quod cognitione invenitur, à priori ex fundo spiritus nostri processurum, autumaverat. Atque principium in ordine speculativo statutum in ordinem practicum transferens, ad asserendum omne sive necessarium sive universale, quod actus induit, à priori esse proveniturum, est inductus.

Et prout in ordine speculativo omne in ratione pura invenire voluerat, in ordine practico omne in pura voluntate studuerat investigare.

Ad hanc faciendam investigationem de se prodiere non valuerat, quia sic methodo idealisticæ et rationis athonomiæ ab ipso promulgatæ adversaretur.

Istam verò inquissionem theroreticâ ratione nequaquam facere potente, nihil aliud, nisi conscientiam sciscitari atque ejusdem dictamina scrupulatim in sphæra moralitatis animadvertere, restabat.

Conscientiam sanè consuluit, tuncque primum legis naturalis principium ita formulavit: *«Sic age, ut lex, quam voluntati tuæ præstituis, valere possit pro generali norma operandi (13).»*

Ast hoc, quod Kantius imperativum cathegoricum nuncupavit, non est tamquam primum habendum, nam universalissimum, simplicissimum atque irreducibile ad aliud non est, neque communem obligationis rationem reddit.

Universalitate orbatur, quoniam ad omnes sese extendere casus nequit; multotiès enim juxta conditionem, statum, cæteraque sui auctoris adjuncta actiones aut bonæ aut prævæ spectantur.



Non semper, quod convenit cuidam, omnibus convenit.

Actus limites officii præstantes atque in sphaeram sacrificii ingredientes, quamvis non excluduntur, non tamen apud tale principium locum obtinere videbitur.

Ecce præcepta, quæ in illo suæ existentiae rationem nanciscuntur: «*Tuorum similium libertatem non violare; aliis non nocere et non esse injustum;*» sed actus odoramenta charitatis perfundentes et qui usque ad cordis et vitæ perveniunt holocaustum, aditum non habent.

At nonnè isti, quia officii intra munus non latitant, erunt honestate prædituri? Minimè omnino; nam plures actiones, quæ è pectore charitate progerminant perusto, ad quas faciendas homo nulla lege adstringitur, bonitate induuntur sublimiori.

Nunc verò principium hos in se actus non includens, universali non fruitur caractere.

Ad hoc, summæ simplicitatis defectio defectionem universalitatis consequitur, siquidem quo generalior est aliqua notio, eo majori simplicitate gaudet, ac proinde quo magis aliquod restringatur præceptum, eo magis ejus deteretur simplicitas.

Neque est etiam irreducibile; nam superius adest principium ad quod revocari et ex quo inferri potest. Dùm etenim in Kantiano agere, quoniam ratio humana ita decernit, præcipimur, decreti rationis fundamentum inquirere pollemus, in quo superius inveniretur principium et jam prædictum non esset primum.

Et re quidem vera, ubi quæritur qua de causa ratio dicat aliquid faciendum vel omittendum, verissimè reponitur; quoniam bonum vel pravum est. Ad quod roborandum verba Div. Thomæ sufficit refferre: «Sicut ens est primum quod cadit in apprehensione simpliciter; ita bonum est primum quod cadit in apprehensione practicæ rationis, quæ ordinatur ad opus. Omne enim agens agit propter finem, qui habet rationem boni; et ideo primum principium in ratione practica est, quod fundatur supra rationem boni, quæ est: *Bonum est quod omnia appetunt.* Hoc est ergo primum præceptum legis, quod bonum est faciendum et prosequendum et malum vitandum. Et super hoc

fundantur omnia alia præcepta legis naturæ, ut scilicet omnia illa facienda pertineant ad præcepta legis naturæ, quæ ratio practica apprehendit esse bona humana (14).»

Perperam igitur à Kantio actionum humanarum moralitas obligatione constituitur, eaque nequitè supra universalitatem obfirmatur. Non enim, quia omnibus afficit obligatio actus exercendi, hi boni sunt, sed contra eorum est bonitas inductura ut ab omnibus ad praxim reducantur.

To bonum est ergo quod obligationis cujusque rationem ultimò reddit.

Præterea, in solo officio moralitatem constituere, supra rationis iudicium officium stabilire, rationisque dictamen propter solius legis considerationem decernere, alterum finem extra legem rejiciendo, adeò ut moralitate careret actio ob amorem præmii vel timorem penæ exercita, ut vult Kantius, plures efficit absurditates. Sic porrò finis hominis circulo istius vitæ finitore perstringitur; conatus altissimi et nobilissimi præfocantur cordis ad statum perfectionibus et oblectamentis confertum naturæ ductu tendentis; spiritui Bonum possidendi anxio hùc minimè inveniendum rapitur, ut ultrà prospicere possit; demùmque hominis destinatio jam non est nisi aliquibus vitam degere diebus ad postea in nihilum ingrediendum.

Sed adest finis præter legem ulterior ad quem creatura rationalis allicitur; dùmque ad eum propter summam perfectionem possesam, adipiscendi causâ, actibus præmium quærentibus panamque fugantibus progreditur, non peccat.

Si autem actio patrata ob retributionem dilectam obque luelam formidatam moralitate viduaretur, ad quid legislatores sanciant humani præmiis et punctionibus leges? Ad quid divinus legislator, præceptum primis impositum parentibus, morte sancivit? Ad quid postremò nos Deus in Sacris impellit Literis ad benè propter spem retributionis operandum, dùm ait «Unusquisque autem propriam mercedem accipiet, secumdum suum laborem? (15)»

Dici nequit Deum nos, ut actus bonitate orbatu peragantur, movere: est igitur nobis profitendum in solo officio moralitatem non consistere.

IV.

Neque minùs falsitas claret systematis Kantiani in suis consecrariis, quàm in origine atque in semetipso. Nam postquam intellectum humanum ut creatorem veritatis, hominis voluntatem ut fontem boni, rationemque practicam, quæ, juxta Kantium, voluntati identifica- tur, tamquam supremam spectavit legislatricem philo- sophus germanus, prædictarum est orta facultatum au- thonomia, et omnis ruit obligationis notio; omnique obligatione in sphæra moralitatis destructa, jus ad li- bertatem cogitationis et conscientiæ non limitatum na- turalitèr apparuit. Atque si libertate est conscientia in ordine prædita morali, in ordine etiam erit reli- gionis.

Præterea, ratione hominis suimetipsius legislatrice constituta, jam tùm Deus nec principium erit moralita- tis objectivum, neque legis moralis auctor, atque illa sese facultas ab auctoritate divina emancipabit.

Tales nempe sunt, inter plures alias, absurditates, quæ ex præmissis à ratione humana stabilitis, dùm ea iter facit innixa tantùm in suis deficientibus et viribus infirmis, deducuntur.

Sed neque intellectus neque hominis voluntas inde- pendentia gaudent; quoniam primus pendet à veritate illum collucente, secundaque à bono illam quodam modo captivante. Intellectus ad veritatem cognoscen- dam ordinatur; propterea est objectum, prout in se exis- tit, relaturus; atque nequit pro libito quamlibet objecti cogniti cadere expressionem, quominus deficiat cogni- tio in quadam ejusdem objecti similitudine consistens. Hæc facultas sese est humilitèr realitati existenti sub- missura, quoniam, «*res naturales comparantur ad intel- lectum creatum sicut mensura ad mensuratum* (16).» Quod autem submittitur et mensuratur, ab eo cujus subjec- tionis et mensuræ subditur, pendet. Intellectus proinde, qui jugo rerum subjicitur suavi, non afficitur autho- nomia.

Neque est etiam independens voluntas, quæ neces- sario fertur in bonum ab intellectu abstractè vel gene- ralitèr conceptum.

«Authonomia rationis ad obligationem explicandam non assumit, nisi rationem ipsam. Vult enim ut animus humanus in operando non recipiat determinationem, nisi à se, qualibet alia exclusa potestate, cujus imperio subditus sit. At verò id omninò repugnat. Nam in primis ratio humana declinare nequit ideam supremi cujusdam Entis, à quo quidquid finitum est, existentiam acceperit. Ergo declinare nequit ideam supremi cujusdam imperantis, qui lege nos adstringat, velitque servatum ordinem quem rebus imposuit (17).» Deinde, quia obligatio vim coactivam significat et nemo autem hanc vim sibi ipsi indicere potest. «Nullus, propriè loquendo, suis actibus legem imponit (18),» «quamvis enim in votis et contractibus unusquisque se adstringere videtur, obligatio tamen jus in Deo vel in hominibus exigendi id, quod liberè promittitur, subaudit, ac proinde legem jura aliorum colendi (19).» Adde quod obligatio jurisdictionis et potestatis exercitium supponit in obligante, atque ideò distinctionem exquirat inter obligantem et obligatum seu inter superiorem et subditum. Forsanque ratio humana ab ipso homine distinguitur atque est illo superior? «Minime verò quoniam illa ut instrumentum quo utitur homo ad obligationem detegendam non ad generandam spectatur; est tamquam præco qui nomine Auctoris naturæ loquitur et per quem Supremus Legislator sua nobis jussa promulgat (20).»

Hominem à vinculis totius obligationis solvite, tùmque ipsius cogitatio et conscientia et fides effrenatè discurrunt, atque in vitia prolabantur, ac jus ad libertatem cogitandi, agendi, credendique illimitatum scaturiet.

Tale verùm propugnare jus tantùm insanæ mentis in deliramentis capit; quoniam in facultate liberè de rebus cogitandi aditum habet judicare aliquid esse quod non est aut non esse quod est, in quo error stat; ac proinde dùm ea asseritur facultas, jus ad errorem defenditur.

Rejecta cogitationis libertate, libertas conscientie repelletur; nam conscientia non nisi effectu unius judicii legem exponentis, alteriusque legem applicantis in actu exercendo constituitur. Et si libertas judicandi illimitata propulsatur, facultas dictamina practica rationis liberrimè fingendi subripietur. Quia sublata causa, tollitur effectus.

Sed lex naturalis munus homini quaerendi et amplexandi imponens veritatem, nonne est illi id numeris injunctura, de veritate religiosa illa excellentiori cum agatur? Non est igitur creaturae rationali jus, qualemcumque sed tantum veram profitendi religionem.

Neque est ratio actuum humanorum regula et mensura, quandoquidem isti non propter decretum vel vetitum rationis bonitate vel malitia circumdantur, sed boni sunt dum veritati rerum subjiciuntur in qua ordo moralis a ratione cognitus stabilitur; atque vestiuntur pravitate ubi praedicto ordini opponuntur. Cum hic ex relationibus rerum immutabilibus exurgat, cumque in iisdem relationibus Dei ratio et voluntas externa exhibeantur, evidens est nostrarum actionum moralitatem objectivam in ordine condi et propter ordinem in divino intellectu, qui eum concipit et in divina voluntate illum conservari jubente et illum perturbari vetante, in quo lex consistit aeterna.

Si aliquando rationem humanam esse voluntatis regulam asseritur, hoc tantum in sensu improprio affirmatur. Proprie enim solum de ratione potest enuntiari divina, de qua tamquam ex principio effectivo et exemplari omnis procedit veritas creata. Quamobrem sic angelicus argumentabatur Doctor «in omnibus causis ordinatis effectus plus dependet a causa prima quam a causa secunda, quia causa secunda non agit nisi in virtute primae causae. Quod autem ratio humana sit regula voluntatis humanae ex qua ejus bonitas mensuratur, habet ex lege aeterna, quae est ratio divina... Unde manifestum est quia multo magis dependet bonitas voluntatis humanae a lege aeterna quam a ratione humana, et ubi deficit humana ratio, oportet ad rationem aeternam recurrere (21).» Aut alio modo. «Humani actus bonitatem habent secundum quod regulantur debita regula et mensura. (22).» Aequi Deus est regula et mensura voluntatis humanae. Ergo actuum, humanorum bonitatis Deus est regula et mensura. Propter quod magnus et immortalis Pius IX in Syllabo illum proseripsit et damnavit errorem sustinentem «humanam rationem, nullo prorsus Dei respectu habito, unicam esse boni et mali arbitram (23).»

Adde quod si ratio humana suimetipsius esset legislatrix, moralemque generasset legem, illa tunc a

Deo evaderet independens, Supremusque non nostrarum regulam finxisset morum Legislator. Sed quomodo hoc, dum anima suis cum facultatibus desursum est, per creationem à Patre luminum descendens? Ordo etenim postulat naturalis creaturam Creatori, atque inferius Superiori subditum esse.

Deus auctor omnium, est propterea eorum Dominus cujus nomen in suo includit conceptu potestatem ergà subditos coercitivam. Ex Illo quidem est lex, propter quam subditi regantur, profectura; «unusque erit communis quasi magister et imperator omnium Deus. Ille legis hujus inventor, disceptator, lator, cui, qui non parebit, ipse se effugiet, ac naturam hominis aspernatus, hoc ipso luet maximas pœnas, etiamsi cætera supplicia, quæ putantur, effugerit (24).»

Nihil non procedit à Deo; nihil enim ab ejus regimine excusatur. «Deus ipse reget nos in sæcula (25)» et «Dominus regnabit in æternum et ultra (26).» Nonnè Supremus Ens ordinis naturalis est Auctor? Necnon equidem ordinis moralis illo sublimioris erit Institutor. Ordoque moralis à congruentia actuum humanorum cum lege efformatur naturali. Istius est igitur lator Deus et non humana ratio. à quo prorsus oriturum nisi à Deo illud quòd est nos ad cælum delaturum? Per legem adimplendam moralem finis est Summus attingendus. A Domino igitur illa exivit et dependet lex. Non existit ergo Moralis independens.

Desiderio desideravi, Excme. et Illme. Domine, systema Kantianum in radice, in principio tamquam regula statuto actuum humanorum, atque in consecrariis ex prædicto systemate collectis, confutare; utrùm hoc nactus fuerim, non facilè dicam.

Philosophus rationalista, ut fontem veritatis ac veritatis scatebram legis moralis in veritates se vertentis, rationem perpensavit; sed ea nihil aliud est «nisi refulgentia divinæ claritatis in nobis (27);» oculus est lucem percipiens; verùm non, ex quo lux procedit, principium; virtus intellectualis res intelligibiles cognoscens, sed non ipsarum est origo. Ratio postremò est «lumen divinitus internis inditum, quo in nobis loquitur Deus (28);» sed non lucis est focus.

Neque principium à Kantio stabilitum primum est legis naturalis præceptum; quia nec simplicitate nec

universalitate exornatur; nec ad illud cætera reduci possunt præcepta legis moralis; neque per illud actionum humanarum honestas exhibentur et malitia.

Ex prædicto denique systemate libertas emanat cogitandi, ferens errorem intellectui; libertas surgit conscientie implens peccatis voluntatem; libertas oritur cultuum cor ariditate ingurgitans et languore; tandemque á lege divina nascitur ablegatio.

Velit Dominus è societate tot errores, totque pravitates abhorrere.

Velit etiam Dominus «illuminare his qui in tenebris sedent et dirigere pedes nostros in viam pacis (29).»

Semita pacis, juvenes dilectissimi, est adimpletio legis Dei «propter quem reges regnant et legum conditores justa decernunt (30).»

«Videte ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem phalatiam (31).»

Nolite legem amplecti á vestra proficiscentem voluntate quæ pluribus afficiet vos calamitatibus; sed illam á divina voluntate descendentem quæ vos in felicitatem inamissibilem perducat.

Dùm ante Regem gloriæ magnum procideritis veritates æternas meditantes dicite Ei: «Domine, da mihi intellectum et scrutabor legem tuam (32).» «Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua (33)» et ego illas sum aspernatus; quia «lex tua meditatio mea est (34)» semper; quia «bonum mihi lex oris tui super millia auri et argenti (35)» quia lex tua est lucerna et veritas, (36) et lux» (37). Atque ita Deus vobis legem diligentibus dabit gratiam ut illam adimpleatis et postquam sic feceritis, pax erit super vos et misericordia et postea vita æterna.—DIXI.

NOTÆ.

- (1) Oseas, VIII.—7.
- (2) S. Augustinus.
- (3) Ps. 77—10.
- (4) Tim. II, 3, 7.
- (5) Rom. I, 21, 22.
- (6) Ad Tess. II, 2, 4.
- (7) Sap. XIII.—5.
- (8) Rom. I, 20.
- (9) Granclaude. Psychologia. n. 256—1.º Editio 2.
- (10) Id. Id. 256—2.º
- (11) De legibus lib. 2, c. 4.
- (12) Summa Th. 1.ª 2.ª q. XCI. á 3 ad 2.
- (13) Critica rat. practicæ pars I, l. I, c. 1. § 7.
- (14) Summa Th. 1.ª 2.ª q. 94, á 2.
- (15) Epist. I ad Cor. 3—8.
- (16) Granclaude. Ontologia n.º 314.
- (17) Liberat. Ethica fol. 100.
- (18) 1.ª 2.ª q. XCIII, á 5.
- (19) Signoriello Ethica generalis § 174 not. 3.ª
- (20) Liberat. ibid. fol. 101.
- (21) Summa Th. 1.ª 2.ª q. 19, á 4.
- (22) 2.ª 2.ª q. 23, á 3.
- (23) § I, n. 3.
- (24) Vide Lactantium, Institut. divinarum I, 6, c. 8.
- (25) Ps. 47—15.
- (26) Exod. 15—18.
- (27) Div. Thomas esp. in David Ps. 36.
- (28) De veritate quæst. II, art. 1.
- (29) S. Lucas 1, 79.
- (30) Prov. 8—15.
- (31) Ad Colos, 2—4.
- (32) Ps. 118—34.
- (33) Ibid, 118—85.
- (34) Ibid.
- (35) Ibid.
- (36) Ibid.
- (37) Prov. 6—23.

INDEX

1. Introduction

2. Chapter I

3. Chapter II

4. Chapter III

5. Chapter IV

6. Chapter V

7. Chapter VI

8. Chapter VII

9. Chapter VIII

10. Chapter IX

11. Chapter X

12. Chapter XI

13. Chapter XII

14. Chapter XIII

15. Chapter XIV

16. Chapter XV

17. Chapter XVI

18. Chapter XVII

19. Chapter XVIII

20. Chapter XIX

21. Chapter XX

22. Chapter XXI

23. Chapter XXII

24. Chapter XXIII

25. Chapter XXIV

26. Chapter XXV

27. Chapter XXVI

28. Chapter XXVII

29. Chapter XXVIII

30. Chapter XXIX

31. Chapter XXX

32. Chapter XXXI

33. Chapter XXXII

34. Chapter XXXIII

35. Chapter XXXIV

36. Chapter XXXV

37. Chapter XXXVI

38. Chapter XXXVII

39. Chapter XXXVIII

40. Chapter XXXIX

41. Chapter XL

42. Chapter XLI

43. Chapter XLII

44. Chapter XLIII

45. Chapter XLIV

46. Chapter XLV

47. Chapter XLVI

48. Chapter XLVII

49. Chapter XLVIII

50. Chapter XLIX

51. Chapter L

52. Chapter LI

53. Chapter LII

54. Chapter LIII

55. Chapter LIV

56. Chapter LV

57. Chapter LVI

58. Chapter LVII

59. Chapter LVIII

60. Chapter LIX

61. Chapter LX

62. Chapter LXI

63. Chapter LXII

64. Chapter LXIII

65. Chapter LXIV

66. Chapter LXV

67. Chapter LXVI

68. Chapter LXVII

69. Chapter LXVIII

70. Chapter LXIX

71. Chapter LXX

72. Chapter LXXI

73. Chapter LXXII

74. Chapter LXXIII

75. Chapter LXXIV

76. Chapter LXXV

77. Chapter LXXVI

78. Chapter LXXVII

79. Chapter LXXVIII

80. Chapter LXXIX

81. Chapter LXXX

82. Chapter LXXXI

83. Chapter LXXXII

84. Chapter LXXXIII

85. Chapter LXXXIV

86. Chapter LXXXV

87. Chapter LXXXVI

88. Chapter LXXXVII

89. Chapter LXXXVIII

90. Chapter LXXXIX

91. Chapter LXXXX

92. Chapter LXXXXI

93. Chapter LXXXXII

94. Chapter LXXXXIII

95. Chapter LXXXXIV

96. Chapter LXXXXV

97. Chapter LXXXXVI

98. Chapter LXXXXVII

99. Chapter LXXXXVIII

100. Chapter LXXXXIX

101. Chapter LXXXXX

